



Misc. 6<sup>me</sup>

cat. 1, 63.





15.

Q. D. B. V

DISSERTATIO IV.

**OBSERVATIONVM**

**CRITICO-PASSIONALIVM**

**CONTRACTVM IVDÆ CVM**

**HOSTIBVS CHRISTI INITVM**

**EX ANTIQVITATE MAXIME IVDÆICA ET**

**FORMVLIS VETERVM IN PRIMIS HEBRÆORVM**

**SIGILLATIM EXAMINANS**

QVAM

**INCLVTÆ FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ**

**INDVLTIV**

*IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA*

*DIE AVG. M. DCC. XX.*

**PLACIDÆ ERVDITORVM** συζητήσει

SVBMITTIT

PRAESES

**SAMVEL FRIDER. BVCHERVS**

**AA. ET PHIL. MAG. ALVMN. REG. ELECT.**

ET

RESPONDENS

**GOTTLOB EHRENFR. STOLLE**

**BISCHOFFSW. MISN. PHIL. ET SS. THEOL. STVD.**

*VITEMBERGAE*

**LITERIS CHRIST. SCHROEDERI, ACAD. TYP.**





VIRIS  
SVMME REVERENDIS MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS DOCTISSIMISQVE DOMINIS

DOMINO  
GOTTLIEB VVERNSDORFIO  
SS. THEOL. D. EIVSDEMQVE. PROF. P. O  
INCLVTAE FACVLT. THEOL. SENIORI ET DE  
CANO SPECTATISSIMO CIRCVLI ELECTOR  
SAXON. SVPERATTENDENTI GENERALI  
GRAVISSIMO

DN. GEORG. FRIDERICO  
SCHROEERO

SS. THEOL. D. EIVSDEMQVE PROF. P. O  
LONGE CELEBRATISSIMO ALVMN. REGIO  
ELECTOR. EPHORO SOLERTISSIMO  
THEOLOGIS CONSVMMATISSIMIS ET DE ORTHO  
DOXA ECCLESIA OPTIME MERITIS

PATRONIS AMPLIFICATORIBVS HOSPITI PRAE  
CEPTORIBVS OMNI PIETATIS CVLTV PERPE  
TVVM PROSEQVENDIS

HAS DISQVISIONES MAXIMAM PARTEM  
ANTIQVARIAS

EA QVA PAR ERAT ANIMI SVBMISSIONE CVM VOTO OMNIMODAE  
FELICITATIS BENEFICIORVM IN SE COLLATORVM  
NON IMMEMOR

HVMILITER

D. D. D

TANTORVM NOMINVM

ADMIRATOR ET CVLTOR PERPETVVS  
M. SAMVEL FRIDERICVS BVCHERVS



I. I.  
CAPVT IV.

DE  
CONTRACTV IVDÆ CVM  
HOSTIBVS CHRISTI INITO.

§. I.

**P**rimaria persona *contrahens* est Iudas, unus e  
duodecim. Nam de Sacerdotibus & reliquis  
Synedrii uiris supra diximus. Habebat Serua-  
tor, *ὁς καὶ ἀποστόλος ἀνέμασε*, Luc. 6. 13. Videli-  
cet e discipulis duodecim praecepuos lateri suo  
adlegit, *destinatos nationibus Magistros*, ut *Tertulliano* uo-  
cantur. Orientalibus, praefertim Syris ac Chaldaeis, addo,  
Talmudicis, tales discipuli, more Graecorum, *שׁוּלְיָו* au-  
diunt, *missi nam' ἐξοχῆν*, ideo, Hebraeorum ex sententia,  
legati & extraordinaria institutione instructi, ut principis  
sui uoluntatem annuntiarent. Nostri simpliciter, more  
gentibus usitato, *Duodecim*, post secessum Iudae *Vndecim*,  
nominantur. Olim enim id erat consuetudinis, ut, qui a-  
liquo dignitatis, aut officii gradu, aucti erant, ab suo nu-  
mero denominationem nanciscerentur, utut ceteroquin or-  
dinis istius uiri non omnes essent praesentes. Sic 2. *Sam.*  
23. 13. *tres ex triginta capitibus, uers. 18. princeps trium & uers.*  
23. Parili modo Synedrii M. collegium Talmudicis uocatur  
*congregatio septuaginta unius, Synedrium septuaginta-unius-*  
*uirale*. Apud Athenienses noti *Πεντακόσιοι, Quingenti, ma-*  
*gistratus Atheniensium quidam secundum ab Areopagitis locum*  
*obtinens, cuius officium erat ciuilia munera, actionesque, de*  
*quibus quotidie inter populares lis erat, iudicare.* *Steph.*  
*Thef. 1. 3. p. 215.* Sic Electores, olim *Septemuiri* dicti, nunc  
ab suo numero *Nonemuiri* adpellantur. Loquitur ergo *Scriptura*  
cum Veteribus, quando Iudas *ὁς τῶν δώδεκα*, *Marc.*  
14. 10. *ὃν ἐκ τῶν ἀγέθρων τῶν δώδεκα*, *Luc.* 22. 3. & alias inducitur.  
§. 2. Ab illo tempore *Iudas* abiit ad Summos Sacerdotes  
& *σφατηρὸς τῶ ἱερῶ*, *Matth.* 26. 14. 15. 16. *Marc.* 14. 20. 11. *Luc.*  
22. 3.

A

22. 3.



22. 3. sqq. Per Summos Sacerdotes intelligunt interpretes Sy-  
nedrium M. Quia enim capita Sacerdotum praecipui atque  
primarii Assesores erant, inde factum, ut nominarentur in  
Iacris Summi Sacerdotes, & uniuersum Collegium subintel-  
ligeretur. Quo sensu Summus Sacerdos ἀρχιερεὺς & reliqui  
Sacerdotum praefecti ἀρχιερεῖς appellentur, satis ex illis, quae  
supra diximus, constabit. Iam, quinam στρατηγοὶ τῶ ἱεροῦ, die  
Haupt-Leute, oder die Hauptmänner des Tempels, in contro-  
uersiam uenit. Vox στρατηγός descendit ἀπὸ τῶ στρατῶ, exercitus,  
στρατεία, στρατεύουαι, exercitum in expeditionem educo, cum  
exercitu uenio, bello inuado, & ἄγω, duco, atque sic στρατηγός  
ui uocis est ὁ ἄγων τὸν στρατὸν, qui exercitum ducat, dux ex-  
ercitus, militiae. Sumitur 1.) κατ' ἐξοχήν, stricte, pro Impe-  
ratori & Duce exercitus generalissimo, General-Feld-  
Marschall, General en Chef, qui Graecis est στρατάρχης, ut apud  
Xenophontem ἀγαθὸς στρατηγός, & Athenaeum ὁ Ῥωμαίων στρα-  
τηγός, dux supremus, βασιλεὺς τῶ παντὸς στρατῶ, ἡγεμονεύων,  
ἡγεμὸν simpliciter & absolute, ut capiunt Aristot. Plutarch.  
Plato, alii. 2.) laxè & sensu generaliori, pro quolibet duce  
in militia, Kriegs-Obersten, qui ordini certo & cohorti prae-  
est. Pfeiffer. Antiq. Graec. p. 487. Quales autem h. l. στρα-  
τηγοὶ, Luc. 22. 52. & στρατηγοὶ τῶ ἱεροῦ, Act. 4. 1. V. 24. acris  
eruditos inter altercatio. Pro Senioribus magistratum in po-  
pulo gerentibus, quibus Romani concesserint ius circa caeremonias & res sacras, accipit Tremellius in Not. ad Vers.  
Syr. Luc. 22. 4. Pro ordinariis Iudaeorum iudicibus Bertramus de Rep. Iud. c. 13. Pro praefectis Sanctuarii, hoc est,  
rerum ecclesiasticarum, ex Maimonide L' Empereur ad Bertramum l. c. & Sam. Bochart. Hieroz. P. 2. l. 1. c. 5. Pro  
Romanorum militum ducibus, qui, ne Iudaei ad seditiones  
proclius turbas excitarent, sub dies in primis festos, ad tu-  
multus & scelera hominum abigenda in porticibus Tempii,  
teste Iosepho, publice constituti, accipit Chrysof. in Matth.  
Hom. 80. Variablis ad Luc. 22. 4. item Belgae: d' Overste des  
Krygts-Volks, dat den Tempel uan buyten bewaarde. Pro cu-  
stodia



*Stodia templi, s. praesidiarii militibus templi custodiae designatis, quibus, qui praefuit, uocatus* *σφαῖνυός τῆς ἱερῆς*, Steph. Thes. t. 3. p. 1066. Hammondus ad Luc. 22. 52. p. 376. Pro praefectis aedificiorum Templi res aediles procurantibus Gerhardus Harm. Euang. cap. 168. uendit: Habebant, inquit, quidem Romani in turri Antonia stationem suam, & inde mittebant aliquando milites in porticus Templi, imminentibus proxime feriis, ad tutandum Templum, ne turba existeret, ut enarrat Ioseph. Antiq. l. 8. c. 4. & l. 5. c. 15. Romanos quoque milites executionem rerum criminalium suscepisse, satis ex historia constat. Vade Lightfootus, antiquitatum sacrarum peritissimus, sumit ad Act. 4. 1. pro ducibus praesidii ad tutandum Templum in turri Antonia stationem suam habentibus. Missis his tantisper opinionibus, sic existimamus: *Σταταινοὶ τῆς ἱερῆς* praefecti erant Templi uigiliis & custodiae in Templo praepositi, ac ius, permittentibus Romanis, ab Synedrio M. illos captiuos abducendi habebant, qui contra Legem, sanctitatem in primis Templi, uel intra uel extra Templum, peccabant, quod olim exequabantur per *ὄπισθετάς*, id est, ministros publicos, aut, ubi necessitas exigeret, per milites Romanos. Hac praefertim ex causa Seb. Castalio reddit: Antistites scil. Templi; Syrus interpres: **שׂוֹטְרֵי הַמִּטְבֵּל**, & duces militiae Templi; Beza, Piscator, Erasim. Schmidius: Praefectos templo; Lutherus: Hauptleute des Tempels; Belgae nouissimi: Hoofft-Manne des Tempels, quales sane erant *σφαῖνυός* a nobis descripti. Nostro idiomate commode Oberster-Wachtmeister, Wachtmeister dicerentur, sermone Romano praefecti uigilum. Primarius ille custos communiter audit **אִישׁ הַר הַבְּרִית**, princeps in monte Templi, *σφαῖνυός τῆς ἱερῆς*, Hauptmann des Tempels, Act. 4. 1. & V. 24. 26. qui alios habebat sibi subordinatos *σφαῖνυός*, Luc. 22. &c. quales erant ex ordinibus Sacerdotum & Leuitarum, qui **שׂוֹטְרֵי הַמִּטְבֵּל**, *ministri publicis*, s. *ὄπισθετάς*, ad captiuos ducendos & castigandos peccatores, ordinarie utebantur,



bantur, *Ioh. 7. 32. 45. Act. 5. 22. 26.* Vtut autem milites Romani, necessitatis lege, quae nullos admittit limites, ita iubente, in auxilium conuocati, & in ministerium ab Hebraeis aliquando sint adhibiti; Iurisdicção tamen, s. ius Templi, & quasi directorium mansit penes *σεβαστηγόν* Iudaeum & ordinarios Hebraeorum *σεβαστηγός τῶ ἱεροῦ*, qui per Romanos milites, eorumque Officiales, ut nostra memoria loquimur, iura ab Romanis concessa exercere poterant. Hinc *Lighfoot.* alibi, nempe *Hor. Hebr. ad Luc. 22. 4. p. 559.* uerissime dixit: *Σεβαστηγοὶ τῶ ἱεροῦ* sunt duces uariarum excubiarum. *Σεβαστηγός* distinctiue sumptus & per eminentiam erat *איש הר הבית*, montis Templi praefectus, qui caput erat omnium capitum excubiarum, distinctus hoc ipso a Praefecto Templi *Sagan*, Sacerdotis S. uicario, quod ille excubias tantum, hic toti ministerio S. praefuerit. Idem sentit *Gerhard. Harm. Euang. c. 163.* Quamuis enim supra, praefectos aedificiorum Templi res aediles procurantes esse, dixerat, hic tamen benefubiicit: Eorundem praepositorum Templi (*הפקרים* בית יהוה, 2. Reg. 12. 12.) officium enim fuit in Templo excubias agere, ac sedulo providere, ne ab aliquo illud pollueretur, quemadmodum Samaritani aliquando, nocte Paschatis, illud contaminauerant, sparsis in eo hinc inde mortuorum ossibus, referente *Iosepho*, lib. 18. *Antiq. c. 6.* Huius officii ratione dicebantur *שמרי הכסף*, custodes liminis, 2. Reg. 12. 10. ac stabant in domo Domini, non solum interdiu, sed etiam noctibus, *Pf. 34. 1.* tum laudum diuinarum concinendarum, tum custodiae Templi causa. His addo *Grotium ad Luc. 22. 4. & Matth. 26. 45.* Erant hi in Sacerdotum numero, sed pecaliamiter nominantur, quod eorum officio incumberet prehendere eos, qui in sacra peccarent. *Σεβαστηγός* uocat τὸν σεβαστηγὸν cum adiutoribus eè additis. Nam *ἐκαστὴ δεξιῇ δύο ἀνδρες ὑπηρέται ἐδόθησαν*, ut *Iosephus* nos docet, *Orig. 4.* Solebant Romani praesides diebus festis, quia tum magnus erat populi conuentus, ad Templi custodiam, ne quid ibi contra mores Iudaeorum tentaretur, cohortem mittere, quam *στρέβαν* uocat *Iohannes 18. 3. τὰξιν* *Iosephus.*



Iosephus, cuius uerba supra quoque allata a nobis hic reperienda sunt ex libro λεξαμολογίας 8. c. 4. Τῆς πάρα προσαγορευομένης ἐορτῆς ἐνθάδε, καὶ ἢ ἐθ' ἐστὶν ἡμῖν ἀζύμα προσφέρουσα, πολλὰ καὶ πανταχόθεν πλήθας συναχθέντι ἐπὶ τῇ ἐορτῇ, δέσας ὁ ῥωμαῖος μὴ νεώτερον τι παρὰ τῆτον προσπέσει, κελύει τῶν στρατιωτῶν μίαν ἰάξιν ἀναλαβῆσαν τὰ ὄπλα ἐπὶ τῶν τῆ ἰερῶν σοῶν ἰσάνας, κατὰσελεύτας τὸν νεώτερον εἰ ἄρα τις γένοιτο. Τῆτο δὲ καὶ οἱ πρὸ αὐτῆ τῆς ἰσάνας ἐπιπροπέσαντες ἐν ταῖς ἐορταῖς ἔπειστον. Vnde apertum est, hoc praesidium festis diebus translatum ex Antonia, quae erat in potestate Romanorum, in porticus Templi. Idem Ioseph. ἀλώσεως l. 5. c. 15. agens de Antonia: Καθὰ δὲ συνῆστο ταῖς τῆ ἰερῶ σοῶς εἰς ἀμφοτέρων εἰς καταβάσεις, δι' ἂν κατιόντες οἱ φερόντες (καθῆστο γὰρ αἱ ἐπ' αὐτῆς τάγμα ῥωμαίων) καὶ διεσάμενοι περὶ τὰς σοῶς μετὰ τῶν ὄπλων ἐν ταῖς ἐορταῖς τὸν δῆμον, ὡς μήτι νεώτερον εἴη παρὰ φύλαστον. Φερόντων γὰρ ἐπέκειστο τῇ πόλει μὲν τὸ ἰερὸν, τῷ ἰερῷ δὲ ἡ ἀναβία. Κατὰ δὲ ταύτην οἱ τῶν τριῶν φύλακων ἦσαν Extra festos dies Sacerdotes per suos uigiles Iudaeos Templum asseruabant, qui ὑπηρεταί uocantur, Act. 5. 22. 26. Marc. 14. 65. Ioh. 7. 32. 45. & 18. 3. 12. & 19. 6. Sacerdotes autem uni ex suorum numero imperium tum in uigiles quotidianos, tum in additos milites mandabant: Is στρατηγὸς τῆ ἰερῶ uocabatur, non dissimilis Magistratus ei, quem Praefectum Vigilum Romani uocabant. Iosephus, eum summo Pontifici dignitate proximum fuisse, ostendit, λεξαμολογίας, 8. 5. τὰς δὲ περὶ ἀναβίαν τὸν ἀρχιερέα καὶ τὸν στρατηγὸν Ἄνανον & c. 8. συνλαμβάνουσι ζῶντα τὸν γενοματία τῶν στρατηγῶν ἐλεάζουσι. Παις δὲ ἦν εἰς ἀνάβη τῶ ἀρχιερέως. Eius magistratus mentio est apud eundem Iosephum aliquot in locis, & apud Lucam, Act. 4. 1. & 5. uers. 24. 26. Vnde simul discimus, eidem officio commissum fuisse, ut ex Synedrii iussu in legem delinquentes, uel in Templo, uel etiam extra Templum, prehenderet. Nam prebensionis ius & coercionis citra mortem Iudaeis Romani permiserant. At in hac historia Lucas plurali numero στρατηγῶς nominat, qui & consilii interfuerant, Luc. 22. 4. & per quos facta



facta est prehensio, 22. 52. nimirum praefecto uigilum, connumerans adiutores ipsius officio additos, qualis ille, quem γεαμμαία uocari a Iosepho uidimus, i. e. שטר, quod generale nomen est omnium eorum, qui maiores potestates consilio aut opera iuuant: Hos secutus est Bynaëus de M. C. L. I. C. 4. p. 345. sq. qui per στρατηγὸς τῶ ἱερῶ intelligit duces uariarum in Templo excubiarum, quibus נגיד בבית ה' פקיד, inspector princeps in domo Iehouae praepositus, Ier. 29. 26. 27. פקיד enim ille Bynaëo & Grotio est στρατηγὸς τῶ ἱερῶ distinctiue & cum emphasi dictus, cui ius erat prehensionis in illos, qui in Templo, (addo, contra Templum,) delinquebant. Vid. Matth. 4. u. 1. 3. 26. 24. & Cleric. ad Luc. 22. 52. p. 377. Nonnulli interpretes, utpote Syrus, Arabs & Persa interponunt ܐܘܨܘܘܢ, & scribas, quoniam hi pariter magistratui erant addicti. Iudas igitur adproperat ad uiros Synedrîi, qui consilia iam de interficiendo Christo pessima inierant, ἕνα & πῶς, quod, siue ut, & quomodo ipsum occiderent; ac deinceps ad στρατηγὸς τῶ ἱερῶ, qui Christum captiuum abducerent, quod testabatur euentus. Nam idcirco educit ὑπηρέτας & milites Romanos, ut innocentissimum caperet, & hostium potestati submitteret.

§. 3. Vox σατανας hebraizat. Est enim a שטן, & sensu laxiori quemcunque ἐναντίον, qui alteri resistit, aut obstat, designat, ut 1. Sam. 29. 4. 2. Sam. 19. 22. 1. Reg. 5. 4. Matth. 16. 23. cum Christus dicit ad Petrum: *Abi post me Satana*, id est, qui resistis uoluntati diuinae oblocutus. Sensu strictiori, κατ' ἐξοχήν & praegnanter, accipitur pro infensissimo humani generis hoste, qui emphatice ἐναντίον, ἀντιμέθεν, simpliciter & absolute שטן. Kimchio איבה לשון שטן, Satan significat inimicum ἐξοχώτως talem ἀντίδουον, 1. Pet. 5. 8. איב, Pf. 8. 3. inter quem & mulierem posita איבה, inimicitia, ἔχθρα, Gen. 3. 15. Feind, Wiederpert. Tale nomen nanciscitur ab resistentia assidua, uti describit eum Zach. cap. 3. 1. לשטן, ad resistendum, siue aduersandum ipsi. Meretur titulus



los honoris *ἐξοχικῶς intensiue*, quod plenus est contradictionum, resistentiae, aduersationum, malitiae, odii &c. ita, ut in malis habeat omnino habitum; *Extensiue*, quod, si ad obiecta uelis oculos conuertere, omnium est hostis, neminis amicus; *Protensiue*, quod Satanas non ab initio tantum Aduersarius erat, uerum in praesenti quoque *ἐναντιῶς* est, atque talis permanebit omnem in perpetuitatem, quicquid de resipiscencia nugentur *Fanatici & Pietastri*.

§. 4. Matth. 26. 15. Οἱ δὲ ἔσησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια; Illi uero appendebunt ipsi triginta argenteos. Nam promiserant ei ἀργύριον δῆναι, pecuniam dare. ἀργύριον denotat 1.) generaliter, γενικῶς & ἀπλῶς, quosue promiscue nummos, id est, omnem pecuniam, ex quo demum illa cunque metallo sit elaborata, in primis uero argenteam, ut apud Hebraeos שֶׁטֶל, Chaldaeos & Syros נֶשֶׁט, quo significatu frequenter utuntur Graeci, ut in illo *Thimoctis*: τ' ἀργύριον ἐστὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτῶν, pecunia est sanguis & anima mortalibus. Tritum enim est, ut bene monet *Bymaeus de M. C. l. 1. c. 4. p. 360.* in linguis quamplurimis, ut uocabula, quae metallum illud, post aurum, pretiosissimum designant, usurpentur pro nummis, pecuniaue. Sic praeter Hebraeos, Chaldaeos & Syros, qui suum שֶׁטֶל ita saepius expriment, pecunia, nummi, Galli amant loqui *P argent*, qua de re uid. *Waser. de Antiq. Num. Hebr. l. 1. c. 12.* Eodem capitur sensu, quando *Marcus* ait; Ἐπηγγέλαντο αὐτῷ ἀργύριον δῆναι, *ra-cti sunt ei, pecuniam se daturus, 2.)* ειδικῶς & specialiter sunt nummi peculiare, quorum pretium accedit ad ualorem Sicili, & stateris, s. quatuor drachmarum. Vnde Graecis subinde τὸ ἀργύριον & σατήρ ἰσοδυναμῶντα sunt. Apud Athenienses numus σατήρ erat, parili pretio, Noctua dictus, de quo *Aristophanis Scholiastes* commemorat in *Auibus*: γλαυκῆς ἀντὶ τῆς νομισματίας. Ἡ γὰρ γλαυκὴ ἕνεθόν ἐστιν Ἀθηνᾶς. Ὅπερ πᾶν τιμῶντες Ἀθηναῖοι, διὰ τὴν θεὸν, ἐν τοῖς τετραδράχμοις ἐνεχάραξαν νομισμασίην. Ἄλλως; Ἡ γλαυκὴ ἐπὶ χαράγματι ἦν τετραδράχμος, ὡς Φιλόχορος. Ἐκλήθη δὲ τὸ νόμισμα τὸ τετραδράχμον,



δραχμων, τότε η γλαυξ, ην γαιε γλαυξ επισημον, η περισωπον  
 Αθηνας, των προσεων διδραχμων οντων, επισημων η βεν εχοντες.  
 Noctuae pro nummis. Noctua enim aus est Palladis, quam  
 omnino colentes Athenienses, propter Deam, tetradrachmis in-  
 sculpservunt nummis. Aliter: Insculpta noctua. Erat enim  
 noctua insigne, seu nota & facies Palladis: Cum priores es-  
 sent didrachmi, insigneque bouem haberent. Si αεγυσιον cum  
 Hebraeorum nummis conferimus, aequipollet, uti diximus,  
 ηρω, Siclo, teste Iosepho in Antiq. Iud. l. 9. c. 2. & l. 3. c. 9.  
 aut כסס, nummo argenteo sensu specialiore accepto. Sic  
 Gen. 20. 16. dedit כסף אלה, mille argentum, Targum ex-  
 presse habet: אלה סלעין דכסף, mille siclos argenti, 2.  
 Sam. 18. 12. dare tibi אסף כסף, decem argentum, hoc  
 est, decem Siclos, quomodo Targum legit: סלעין דכסף,  
 siclos argenti, & LXX, δέκα αεγυσιος. Similem in modum  
 Onkelos & Ionathan το כסף alibi reddunt per ηδ קש, ut Gen.  
 45. 22. Fulse de hoc argumento differuit Casaubonus contra  
 Baronium, Exerc. 16. c. 8. & 9. & scite dixit, ηδ כסף & קש  
 saepius in scriptura & apud Paraphrastas, atque quamplu-  
 rimos alios, esse ισοδύναμα, cui assentiunt Waser. de An-  
 tiq. Num. Hebr. l. 11. c. 4. Gerhard. Harm. Euang. c. 168.  
 Vossius Harm. Euang. l. 1. c. 11. §. 10. Ant. Bynaeus de M. C.  
 l. 1. c. 4. p. 362. sqq. & Hammond. l. c. p. 199. Siclus uero con-  
 tinet 12 grossos, einen halben Reichs: Thaler, quatuor דרומ,  
 drachmas Atticas, uel דינרין, denarios Romanos, staterem u-  
 num. Στατήρ enim pretio 4. drachmas Atticas ualet, ut e-  
 rudicissima Cleopatra testis est: ο στατήρ η δ' καλδσι δέ αυ-  
 ηδν τετραδραχμων, η ηδ διπύριον δέ ομοίως αγει η δ'. Stater agit  
 drachmas quatuor. Vocant autem eum tetradrachmum, &  
 dipondium similiter agit drachmas quatuor. Vnde apud Hesy-  
 chium; γλαυξ νόμισμα Αθηνσι ηετραδραχμων. Et mox; γλαυξ  
 δέ ηδ επιχάραγμα τῆ στατήρ. Noctua nummus Athenis te-  
 tradrachmus. Noctua uero insculpta nota stateris. Stateris  
 etiam mentio facta est, ut Pfeiffer. Antiq. Graec. perbelle  
 monuit,



monuit, l. 2. c. 39. p. 315. *Matth. 17. 27.* ubi alii intelligunt staterem, nummum argenteum tetradrachmum, qui duo drachma continet, quem pro duobus, pro se & Petro, Saluator dare iubet iis, qui *τὰ δίδραχμα* colligebant: Alii staterem aureum drachmum interpretantur, quod Dominus plus dare, quam petebatur, uoluerit. Sed priori sententiae omnino palmam relinquimus. Saluator enim in omnibus bonae consuetudini cessit. *Budaeus, Marloratus, Waserus, Gerhardus* triginta argenteos pro Siclis sacris habent. Auctor etiam libri *Aruch*, postquam docuerat: *Siclus legis est סלע* & sic Chaldaice redditur, continetque quatuor ריבון, denarios, & ריבון, denarius & drachma, idem sunt; innectit, Siclum fuisse Rabinorum duos denarios, uel dimidium סלע, Sicli sacri, continentem. At frustra haec proferuntur, dum ratione pretii, ponderisque non nisi unus Siclus fuit, quippe profanus, aut, ut alias uocant, regius, & Sacer non pretio, sed nomine saltim & usu differebant. Vnde bene *D. Calouius*, quando *Grotium* monet ad *Matth. 26. p. 434.* distinctionem inter Siclum uulgarem & sacrum nullam esse, docet. Porro poterant quidem spectari ut Sicli dimidiati, seu diuisi, at enim mentaliter & per conceptum saltim, ut in scholis loquimur, κατὰ τὸν ἀριθμὸν. Huius rei testimonium affert *Iosephus*, qui superaddit; *Ἀέχρατ' Ἀρμάς δραχμάς τέσσερας*, *Atricas* capiebat drachmas quatuor, uel unum *σαήρα*, unde *Origenes, Eusebius & Codex Cantabrigiensis*, qui *Theodori Bezae* fuit, pro ἀργύρια scribunt *σαήρας*. Id *Bynaeo* merum est glossema, de *M. C. p. 360.* Vnum uero tantum pondere Siclum olim extitisse, euincere *Villalpandus, Appar. Urbis ac Templi, P. 2. de Ponder. & Num. l. 2. Disp. 4. c. 28.* strenue allaborat.

§. 5. Vox *ἑστραυ* denuo antiquitatem redolet, utut alii aliter sentiant. *Vulgatus* habet: *Pacti sunt, constituerunt*, item *Grotius*: *Constituerunt*, ut idem sit, quod *συτίθειν*; *Desid. Erasmus, Verho Interlinear. Belgae, Ludou. de Dieu, Syrus*

*عسراي*, *Arabs* *عسراي*, *Euangelium Hebraicum* *נקבר*, *desiniue-*



niuerunt, *expresse nominarunt*, qualem nempe summam ipsi  
 soluere uellent. *Theophylactus*; Συνεβάνσαν, ἀφώρισαν δά-  
 ναι, conuenerunt, definiuerunt, se daturos. *D. Lutherus*: Sic  
 boten ihn. Sedenim propius uim τῆς ἑτησαν attingunt, qui  
 cum *Bymaeo de M. C. p. 364. sqq. & Camerar. ad Matth. 26.*  
*15. p. 16.* explicant per Hebraeum קָשׁ, *librauit, ponderauit,*  
*appendit, APPENDERVNT*, quae significatio non raro  
 huius uerbi est, unde *Zach. 11. 12.* uerbum קָשׁוּ לֶחֶם *LXX. Se-*  
*nes uertunt*; καὶ ἑτησαν τὸν μισθόν μου τριάκοντα ἀργύρια;  
 Und sie wugen dar, wie viel ich galt, dreyszig Silberlinge.  
 Exinde numus dictus *σατήρ παρὰ τὸ ἰσάσαι, ponderare, ap-*  
*pendere, & קָשׁ, Siclus, a קָשׁ, ponderare, appendere,* quae  
 significatio ipsa *Homerica est, Xenophonti non infrequens,*  
*Paed. 8. τὰ δὲ ἀειθυμέντες καὶ μετρήντες καὶ ἰσάντες πρᾶγμασα*  
*ἔχουσι,* & *respondet moribus gentium, dum Hebraei, Chal-*  
*daeï, Syri, immo Romani ex pondere summam aestimabant,*  
 qui mos hodie in *Æthiopia, Guinea Africae, Iapponia,*  
*China, aliisque terrarum tractibus in usu est, ut fortiter e-*  
*uincit Waserus de Antiq. Num. Hebr. l. 2. c. 3.* Nonnulli,  
 ipsos Iudae statim tradidisse nummos, conuentione facta,  
 coniciunt. Alii cum *Gerhardo & Piscatore* pecuniam ei ap-  
 pendisse, sed apud certum hominem deposuisse, arbitrantur.  
 Ego, cum hoc sit incognitum, omnem circa hanc controuer-  
 siam altercationem superuacaneam censeo. Nobis sufficit  
 nosse ritum, secundum quem *Veteres ἑτησαν, ἰρηψῖ,* appen-  
 derunt, id est, ex pondere aestimarunt pecuniam, uti nos  
 ex numero nummorum, quo sensu nobiscum exponunt *Be-*  
*za, Er. Schmid. Dau. Paraeus, Dan. Heins. Cocceius, Ger-*  
*hardus, & plures alii. Vid. Gen. 23. 16. 1. Reg. 20. 39. Esr. 8. 25.*  
*26. 29. 33. Es. LV. 2. Ier. 32. 9. 10. & Schindler. Lex. Pentagl. p. 1933-*  
 s. 6. Summa, qua Christus uenditur, erat *τριάκοντα ἀρ-*  
*γύρια, Syr. ܩܫܘܬܐ ܕܩܫܘܬܐ, triginta argenti, scil.*  
*scilicet, 30 Silberlinge; Euseb. Demonstr. Euang. lib. 10. c. 4. ὅτι δὲ*  
*ἑτησαν αὐτῷ τριάκοντα σαῖντας. Nam Orientalium נספס &*  
 קָשׁ,



לָקוּחַ, quem Chaldaei עֶבֶד uocant, ac Graecorum ἐργήσιον  
 & σαλινα ratione pretii atque ponderis ἰσοδυναμῶντα esse, su-  
 pra audiuimus. Hi uero triginta argentei constituebant XV  
 thaleros communes. Pro tam leuidenti summa proditor  
 Christum tradit, quae insimul erat pretium, quod maxi-  
 me notabile, seruorum, s. sclauorum. Valuit igitur Chri-  
 stus τριάκοντα ἀργύρια, quoniam habebatur seruus, *Phil.* 2. 7.  
 Serui enim & Sclauī 30 Siclorum pretio redimebantur, *Exod.*  
 21. 32. ad quem locum *Maimon. More Neuch. P. 3. c. 40.* ob-  
 seruat: *Seruo illati damni pretium hoc in casu constitutum*  
*est, dimidia pars pretii hominis liberi, triginta scilicet siclo-*  
*rum argenti. Vi plurimum enim reperies, hominem liberum*  
*aestimari sexaginta siclis; Seruum uero triginta, & rursus:*  
*Pretium serui grandioris, aut minoris, maris, aut foeminae*  
*esse πένη ἢ, triginta Selain, argenti puri, id est, tri-*  
*ginta siclos.* Vnde *D. Calou. ad Mt. 26. p. 434.* scite scribit:  
*Discrimen inter mascul. & foeminin. sexum nullum in lege*  
*agnoscitur, siquidem ex aequo, serui & ancillae, 30 siclorum*  
*pretio, Exod. 21. 32. aestimantur. Errat igitur Grotius, quan-*  
*do ait: Notant Hebraei, hominem marem plerumque*  
*aestimatum 50 siclis, ancillam 30. Idcirco, cum Pto-*  
*lomaeus Philadelphus, rex Aegyptorum, intercessione Aristaei,*  
*captiuos Iudaeos manumittere uellet, ἐκέλευσεν, ὅταν τοῖς*  
*στρατιώταις ἀποδίδωσι τὸ μισθοφορικόν, ἢ ὑπὲρ ἐκάστου τῶν παρ'*  
*αὐτοῖς ἀρχαυάτων καθάλαειν δραχμάς ἐκατὸν ἑκοσι, iussit, ut*  
*quando militibus darent stipendium, etiam pro singulis, qui apud*  
*ipsos, captiuis penderent drachmas centum uiginti. Vid. Ioseph.*  
*Antiq. Iud. l. 12. c. 2. & Bynaeus de M. C. l. 1. c. 4. p. 371.* Drach-  
 mas enim quatuor continet Siclus, ut ex eodem Iosepho  
 obseruatum est paulo superius. Hoc cum ad planum sit per-  
 ductum, pretium serui olim fuisse Siclos triginta, utique &  
 mirabile est, quod Iesus, qui μορφὴν δούλου, formam serui,  
 accepit, argenteis triginta aestimatus a Pontificibus fuit, &  
 factum non sine arcano quodam Dei consilio uideretur, quo  
 B 2 etiam



etiam pertinet supplicium crucis, quod apud Romanos ser-  
uile erat, itidem pedum lotio apud Hebraeos serui officium.

s. 7. Ex his triginta monetis una Romae in Templo  
sanctae crucis Hieros. & una Lutetii Parisiorum reliquias  
inter, quas uocant, asseruatur, quae tamen supposititiae sunt.  
Harum mentio iniicitur apud *Baron. Annal. Tom. I. A. C. 24.*  
*Octau. Pauciol. Tesori Nascosti dell. alma citta di Roma p. 151.*  
teste *Bynaeo Antiq. Passion. p. 204. Freyber. de Numism. Waser.*  
*de Num. Hebr. l. 2. c. 4. Anton. August. Episcopum Tarrac. Cens.*  
*Dial. de Numism. 2.* qui figuram exhibet, quam repetit *By-*  
*naeus, l. c. p. 205. Selden. de I. N. & G. l. 2. c. 8. Freyber. &*  
*Waser. l. c.* Ex uno latere conspicitur caput hominis radios  
de se spargens uberrime, flos ex altero, cum hac *ἑπύρα Φη;*  
*ΡΟΔΙΟΝ*, addito *Ε.* Supposititias esse, plurimae rationes suadent.  
1.) *Τετραδραχμια ἀργύρια* procul dubio fuerunt Sicli, quorum ima-  
go & *ἑπύρα Φη*, ut alias audiuimus, longe erat alia. Vid.  
*Ar. Montan. de Siclo, Beza ad Matth. 17. 24. p. 60. Schindler. ad*  
*uoc. קטש, Lundius, Menochius, Goodwinus, &c.* 2.) Mone-  
tae illae nec Hierosolymis, nec alibi in Iudaea, aut Syria,  
sed apud Rhodenses cusae sunt, quod ipse *Anton. Augustin.*  
*Papicola*, non diffitetur. Vox *ΡΟΔΙΟΝ*, quae sub finem, ex  
more Veteribus non infrequenti, pro *Ω* habet *Ο*, clare de-  
monstrat, fuisse numum *ροδιων*, *ciuium Rhodi*, id est, *Rho-*  
*densium*. Flos ille, rosa, quam Graeci *ρόδον* uocant. (denim  
& *Γ* olim ualebant ordinarie *δρ*.) erat insigne Rhodensium,  
unde titulus & nomen *Rhodensis, Rhodus*. Caput humanum  
coruscans est caput Phoebi, siue solis, qui sub imagine  
capitis humani ab Rhodensibus colitur, quod idolum insi-  
gne inter praestigia mundi refertur, quapropter Poetae &  
illo egregie fabulantur. Pontificiis, quando, Ciceronem de  
alios scribere, *Iudaeos ex omnibus terrae partibus pecuniam*  
*Gentilium secum Hierosolymas detulisse, obiciunt, respon-*  
*demus: Haec in se licet uera sint, utut etiam Seldenus, qui*  
*pariles possedit monetas, duas tantum ualere drachmas, fa-*  
*ctetur, attamen utrum triginta ἀργύρια Iudae collata prae-*  
*cise*



cise separati fuerint Sicli triginta numero, an potius summam triginta argenteorum, hoc est, Siclorum, constituerint, incertum est. Nam quamuis peregrino aere summam solvere potuerunt, a posse tamen ad esse, ut Philosophi aiunt, non ualet consequentia. Quemadmodum autem haec res maxime impedita & ambigua, ita monetas illas, quas uenerantur Papistae, superstites e numero triginta argenteorum Iudae, etiam nunc extare, nemo facile credit. Argumentum, quod dissentiens ab Sacerdotum & hostium Christi uerbis, *non licet eos conicere in Corbanam*, desumit, admodum leuidense, immo nullum est. Pecuniam gentilem ideo fuisse, quis cogitaret? Vera enim ratio mox subiicitur. *Quia pretium sanguinis est.*

§. 8. Summa proditori pergrata erat. Ideo ἐξωμολόγησε, Luc. 22. 6. *promisit, adstipulatus est, spondit*, ut habent *Camerarius, Beza, Erasmus, Versio Interlin. Piscator, Schmidius, Belgae, Grotius, Cocceius, Bynaeus, Lutherus*, alii. Promissionem illam cum iuramento fuisse coniunctam, ex emphasi uocis ἐξωμολογήσθαι colligit *Keuchenius*, cui tamen, si iuramentum stricte sic dictum & formaliter tale intelligat, obloquimur. *Ludou. de Dieu* uertere uoluisset uideretur: & *gratias egit*, cum *Arabe* *شكر*, & *gratias egit*, quasi laetus ob latam sibi pecuniam, qua auaritiam suam expleret. Syriacam uocem l. c. Hebraeum *הרהר* & Graecum ἐξωμολογέω tanquam *ισοδυναμῶντα* ualere: *Magna cum gratiarum actione publice confiteri*, in propatulo est. Sic Mt. 18. 25. *ἰσχυρῶς*, ἐξωμολογήμαί σοι πάτερ. Sensus ergo est: *Et promisit Iudas in publica confessione cum gratiarum actione*, ut ἵο ἐξωμολογήσθαι subinuolet 1.) *promissionem* 2.) *publicam confessionem* 3.) *gratiarum actionem*. Cleric. ad l. c. uertit: *Consensit, de oblata sibi mercede*. Nam *μολογία* sonat pactum, conuenientia. Emphasin tamen uocis feliciter inuenit *Ioh. Tarron. ad Ps. 6. p. 132.* quando sic commentatur: *Verbum הרהר non simpliciter confiteri, sed agnoscere grato animo beneficium*



nescium, grato ore id celebrare, ac eo nomine gratias agere significat, ut accipitur Ps. 9. 1. & 43. 4. & 106. 1. Vnde factum est, ut etiam apud Graecos uerbum ἐξομολογῆσαι eandem significationem obtineat, Matth. 11. 25. Rom. 14. 11. Vid. Steph. Thes. Append. p. 895.

§. 9. Ἀπὸ ἰότης ἐξήτεi εὐκαιρίαν, ἵνα αὐτὸν παραδῶ, ut Matthaeus & Lucas habent, siue, ut Marcus exprimit; Ἐξήτεi, πῶς εὐκαιρίας αὐτὸν παραδῶ. Illud ἀπὸ ἰότης est Hebraismus, quod etiam Ludou. Capellus in Spicil. ad Matth. 26. 16. annotauit. Saepius, inquit, occurrunt in N. T. hae phrasēs ἀπὸ ἰότης & ἀπάρετι, quae sunt Hebr. nam ἀπὸ ἰότης est יתן, quod uide Ps. 93. 2. יתן כספו וְיִכְנֶן עֲטוּמֹתָיו, ἔτοιμα ὁ θεὸς σὺ ἀπὸ τῶς, & Prou. 8. 23. יתן מַפְעָלָיו קִדְמָה, ante opera sua, ἀπὸ ἰότης — אַתְּ אֵל: uero est Hebraicum מעתה, quod passim est obuium, ut מעתה ועד עולם, a nunc & in aeternum. Ita se res omnino habet. εὐκαιρίαν Grotius explicat per Hebraicum יתן, opportunitas, tempestiuum tempus. Sic interpretantur Vulgatus, Versio Interlinearis, Beza, Piscator, Er. Schmidius, Bynaeus, Belgae gelegenthey, & in margine bequamen tijt. εὐκαιρία significat utique tempestiuum tempus, opportunitissimum tempus, auspicatissimum tempus. Καρπός enim idem est, quod καρπία, atque sic Graecis designat tempus commodissimum & cuique rei a natura destinatum, Rom. 13. 11. Eph. 5. 16. quod Orientales dicunt καρπία, Eccles. 3. 1. ab καρπία, opportune, seu tempestiue, locutus est, aut egit aliquid, Es. 50. 4. uid. Prou. 15. 23. Optime Iob. Pricaeus ad Luc. 22. 6. Ἐξήτεi εὐκαιρίαν ita dici solet de iis, qui mala machinantur. Achilles Tatiuss l. 2. Ἐξήτεi καρπὸν πρὸς τὸ ἔργον. 2. Maccab. 4. 32. de Menelao; Νομιστὰς εὐκαιρίαν εὐφροσύνην Apulleius de Thrasyllo, mortem in idem suo amico struente, cruento facinori quaerebat accessum. Huius loci sunt & Hesychii illa, Καρπὸφυλακῆσαι, καρπὸν ἐπισηρῆσαι. Vere, (& ad haec Lucae apposite) Plutarchus οὐχ ἅμα φάμεθα, ἃ γίνονται τῶν πονηρῶν ἕκατῳ. Ἐχει μὲν ἐξ ἀρχῆς κακίαν χεῖρτα δὲ καρπὸν ἢ δυνάμεισ



δυνάμεις ἐπιλαβόμεν. Libro de fera Numinis uindicta. Εὐκαρεία igitur consilii opportunitatem, & temporis ac loci occasionem auspiciatissimam, commodissimamque subinuoluit, quod, praeter naturalem uocis significationem, particula εὐ, quae sensum auget, praemonstrare uideretur.

§. 10. Circa praedictionem Christi de prodicione Iudae occultam pauca sunt monenda, quae coronidis loco hic subiungam. Ὁ Ἰησῦς ἐταράχθη τῷ πνεύματι, turbatus est Iesus Spiritu. Vox ταράσσειν εὐφραίνω designat uehementem commotionem, alterationem & animi perturbationem. Matth. 2. 3. XIV. 26. Ioh. 11. LXX. Senibus idem ualet, quod רורר Pf. 55. Mein Herz ängstet sich in meinem Leibe; & שש Pf. 31. 11. verschmachten; item רר Thren. 1. 20. Daß mirs im Leibe davon wehe thut. Iohannes utitur uerbo addita uoce ψυχή, uel καρδία Ioh. 12. 27. XIV. 1. νῦν ἡ ψυχή μου ταρασσεται, item μη ταράσσειν τῶν ὑμῶν ἡ καρδία, ex loquendi ratione Hebraeorum, qui similiter annectunt suum רר aut נפש, Pf. 6. 4. נפש נכחה נפש, LXX. ἡ ψυχή μου ἐταράχθη σφόδρα; Pf. 63. 11. ἡ καρδία μου ἐταράχθη. Accipitur quoque de impetuosius maris fluctibus, aliisque rebus uolentis, magna ui & conatu propulsis; Atque adeo designat uehementem commotionem, insolitam perturbationem, Heimius in Arist. S. p. 462.

§. 11. Intinctio in patinam facta uulgo creditur in coena paschali, Iohan. 13. 26. licet res aliter se habeat, & explicatur a Dassouio, aliisque de pulmento Charoseth, quod ex pomis, picis, amygdalis, nucibus, ficibus, malis citreis, uino & aromatibus confectum erat, in quod pulmentum herbae amarae, nempe lactuca, hedera, raphanus, nasturtium & alia, una cum panibus azymis, intingebantur, quae intinctio & ante & post recitationem fiebat historiae Paschalis, ut docet Maimonides de Ferm. & Azym. c. 8. §. 23. Adnotauit etiam Ludou. Capellus ad haec uerba: ἐκείνῳ ἐστίν, ᾧ ἐγὼ βάψας &c. Factum id fuit a Christo ex antiquo Iudaeorum ritu, qui etiamnum hodie ab eis in Paschalis coenae celebratione obseruatur, uti uidere est in Ritualibus eorum libris, ut post absolutam Agni Paschalis coenam, ἐν τῷ ἐπιπέσματι (quod & ipsi uocant haec



ce hac Graeca  $\text{Πατριάρχης}$  uocant) paterfamilias tortam arynam  
 in tot diuidat frustra, quod assident conuiuiae, singulaque  
 frustra (quae hic  $\text{Ψωρία}$  dicuntur ab Euangelista) in tryblum  
 $\text{ἰσχυρὰς}$  herbarum amarum, (quod ipsis dicitur  $\text{חרס}$ ), in-  
 tingit, & singulis porrigit conuiuii. Cum ergo Christus in di-  
 uidendis & porrigendis  $\text{Ψωρίαι}$  ad Iudam proditorem ordine  
 deuenisset, paulo antequam  $\text{Ψωρίαι}$  illi porrigeret, discipulis  
 declarauerat, fore, ut ab aliquo eorum proderetur, cumque  
 Petrus Iohanni annuisset, ut a Christo rogaret, quisnam ille  
 futurus erat, qui tantum scelus esset patraturus, & Iohannes  
 Christum ea de re, inclinatus in eius pectus, submissiori uoce  
 interrogaret, Christus submissa itidem uoce indicauit illi, eum  
 esse, cui iamiam traditurus erat  $\text{Ψωρίαι}$ , simulque intincto tor-  
 sae frustulo tradidit illud Iudae. At enim Dassouio non ac-  
 cedo, ac Lud. Capellus uehementer errat & decipitur, ut  
 recte iudicat, uir acris iudicii, doctrinaeque non uulgaris  
 Bynaeus, l. 1. c. 5. §. 24. p. 427. Sed hac nota sua, inquit,  
 supersedere potuisset uir praestantissimus. Praeterquam enim,  
 quod incertum admodum est ac dubium, an ritus ille, quem  
 hodie in Paschali coena obseruam Iudaei, in usu quoque fuerit  
 iam olim, cum hac de re in Talmud nihil extet, Maimonides  
 etiam, qui ueteres ritus persecutus est, nihil de hac tradat,  
 ut uir maximus, Iohannes Buxtorffius, opponit, qui inde suspi-  
 catur, hanc consuetudinem posterioribus temporibus introdu-  
 ctam, extra terram  $\text{בגלות}$ , in exilio ipsorum, ut sic habe-  
 rent aliquid, quod loco agni Paschalis ederent & eius locum  
 subiret; Non cogitandum hic est de aliquo ritu in Paschali  
 coena obseruato quondam, cum haec coena habita sit ea uespe-  
 ra, quae proxime festum Paschatis praecessit. Vtique uera  
 sunt, quae sibi in mentem reuocat laudatissimus Bynaeus.  
 Sed id ualde miror, qui factum, ut S. coenae institutionem  
 & usitatas illic formulas ex ritibus deinceps Iudaicis deri-  
 uauerit, cum tamen ex propria sui ipsius confessione recen-  
 tioris sint  $\text{εὐαγγέλιον}$ , quos Seruatoris aetas omnino  
 ignorauit.



Th: 780

ULB Halle 3  
002 500 698



Sb.

KONT  
D

n. C.











15.  
Q. D. B. V  
DISSERTATIO IV.  
**OBSERVATIONVM**  
**CRITICO-PASSIONALIVM**  
**CONTRACTVM IVDAE CVM**  
**HOSTIBVS CHRISTI INITVM**  
**EX ANTIQVITATE MAXIME IVDAICA ET**  
**FORMVLIS VETERVM IN PRIMIS HEBRAEORVM**  
**SIGILLATIM EXAMINANS**  
QVAM  
**INCLVTAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE**  
**INDVLTV**  
**IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA**  
**DIE AVG. M. DCC. XX.**  
**PLACIDAE ERVDITORVM συζητήσει**  
SVBMITTIT  
**PRAESES**  
**SAMVEL FRIDER. BVCHERVS**  
**AA. ET PHIL. MAG. ALVMN. REG. ELECT.**  
ET  
**RESPONDENS**  
**GOTTLOB EHRENF. STOLLE**  
**BISCHOFFSW. MISN. PHIL. ET SS. THEOL. STVD.**  
VITEMBERGAE  
LITERIS CHRIST. SCHROEDERI, ACAD. TYP.